

2.

R. vitell. ouor. no. II.

conquassentur in

▽ rosar. ℥ij.

mucil. sem. cydon.

mell. virg. aa ℥j.

croci gr. VI.

M. f. Linctus.

SECTIO VI.

DE

FORMVLA PILVLARVM.

§. 400.

Quid pilulae sint, iam dictum fuit §. 289. easque simplices esse vel compositas, magistrales vel officinales, relatiuas vel absolutas, et omne id ingredientis vice in pilulis fungi posse, quod vel per se, vel commixtione aliorum in pilularum formam redigi potest, eodem, quo de bolo et electuario demonstraui, modo §. 333. 334. probari potest, ita, ut superuacaneum esse arbitrer, harum thesium demonstrationes huc apponere.

§. 401.

Cum omnia ea pilulas ingredi possint, quae vel per se, vel commixtione aliorum in formam pilularum redigi possunt §. 400, ingredien-

Appli-
cantur
hic de-
monstra-
ta in su-
periori-
bus.

Recen-
sentur
quae pi-
lulas in-

gredi
possunt.

dientium vice in pilulis fungi possunt 1) sicca tenacia, ut gummi, gummi-resinae, resinae, extracta solida, succi densi, massae pilulares officinales, saponi solidi, trochisci efficaciores; 2) sicca puluerulenta ex quouis regno petita; 3) spissiora, ut mel, terebinthina, extracta mollia, electuaria, sed rarius, mica panis recentis et eiusmodi alia; 4) minus spissa, ut syrupi, vitellus oui, balsama liquida, mucilagines, confectiones molles, etc. 5) liquidiora, ut elixiria, essentiae, tincturae, spiritus fermentati, olea aromatica, extracta essentialia, etc. Haec enim omnia vel per se, vel commixtione aliorum in formam pilularum redigi possunt. Quae No. 3. 4. 5. recensita sunt, plerumque excipientium vice fungi solent.

§. 402.

Qualis
delectus
in iis,
quae in-
gredien-
tium vi-
ce in
pilulis
fungi
possunt,
sit ha-
bendus.

Quamuis igitur adeo multa pilulas ingredi possint §. 401. nihilominus tamen recensita §. cit. No. 1. aptissima sunt et usitatissima, et ex iis No. 2. ea praecipue loco ingredientium adhibentur, quae specificè grauiora sunt et parua dosi efficacia, cum e contrario puluerulenta leuia, haud facile cohaerentia, minus subtilia et maiori dosi efficacia, quantum fieri potest, vitari soleant. Neque immerito massae pilularum officinales praeter eas, quarum compositio concinna est et usus frequens, in pilulis omittuntur, cum diutius asseruatae ple-
rum-

rumque vel nimis siccescant, vel alio modo corruptantur.

§. 403.

Ingrediens pilularum simplicium ita comparatum sit necesse est, vt per se, sine aliorum miscela, in formam pilularum redigi possit. Haec propositio eadem demonstratur ratione, quam secutus sum § 336.

§. 404.

Quaedam, quae in pilularum compositarum formam sunt redigenda, eam vel per se, sine aliorum miscela, assumere possunt, vel non. Si posterius, adesse debent *excipienda et excipientia pilularum*. Sic sicca tenacia, quae recensui §. 401. No. 1. eo respectu, quo per se, sine aliorum miscela, in pilularum formam redigi nequeunt, sunt excipienda in pilulis; spissiorum vero, quorum mentionem feci §. cit. No. 3. 4. quaedam eatenus sunt excipientia in pilulis, quatenus illis in debitam pilularum formam redigendis inseruiunt.

§. 405.

Si qua ingredientia, ex quibus pilulae compositae sunt formandae, in pilularum formam redigi queunt, excipiente vel excipientibus in pilulis non opus est.

Ingrediens pilularum simplicium per se formae pilularum debet esse capax.

De excipientibus et excipientibus pilularum.

Quando excipientibus in pilulis non opus sit.

§. 406.

Quando
exci-
pi-
entia in
pilulis
requi-
rantur.
Si exci-
pientia
adsunt in
pilulis,
exci-
pienda re-
quirun-
tuntur et
vice ver-
sa.
Exci-
pientium
in pilulis
quanti-
tus et
qualitas
ex exci-
piendo-
rum qua-
litate et
quanti-
ta-
te deter-
minatur.
Quenam
exci-
pi-
entia in
pilulis
esse pos-
sint, si ea-
rum ex-
ci-
pienda
sunt sic-
ca.

§. 406.

Contra, si qua pilularum compositarum ingredientia per, se sine aliorum miscela, pilularum formam assumere nequeunt, excipiens vel excipientia in pilulis requiruntur.

§. 407.

Si qua in pilulis excipienda sunt, excipiente vel excipientibus in pilulis opus est. Neque minus si qua in pilulis excipientia adsint, excipiendum vel excipienda in pilulis adesse debent.

§. 408.

Excipientia pilularum tam ratione qualitatis, quam quantitatis, variare debent, prout excipienda tam ratione quantitatis, quam qualitatis variant, atque adeo illorum quantitas et qualitas ex horum quantitate et qualitate sunt determinanda.

§. 409.

Si sicca sunt excipienda in pilulis, liquida diuerso fluiditatis gradu praedita excipientium vice in pilulis fungi possunt, qualia sunt §. 401. No. 3. 4. 5.

§. 410.

§. 410.

Consulto omnium eorum, quae afferui Scho-
 §. 404. 405. 406. 407. 408. 409., demonstra- tion.
 tiones omisi, ne nimis longus esse videar.
 Neque id necessarium fuit, cum demonstra-
 tiones, quas §. 337. 338. 340. 341. 342. 343. 344.
 345. de bolo dedi, etiam de pilulis valeant,
 nullaque plane mutatione indigeant, nisi vt
 in iis, loco vocis *bolus*, vocabulum *pilulae* po-
 natur.

§. 411.

Quantitas excipientium in pilulis deter-
 minatur 1) per excipiendorum quantitatem, termina-
 2) per eorundem et 3) suam ipsorum quali- tione
 tatem § 370. quantita-
 tis exci-
 pienti-
 um in pi-
 lulis.

§. 412.

Quamuis, si sicca sunt excipienda in pi-
 lulis, liquida diverso fluiditatis gradu prae-
 dita excipientium vice in pilulis fungi possint
 §. 409, nihilominus tamen haec omnia, si ex-
 cipientis vicem gerere debent, excipiendis
 siccis promiscue non quadrant, sed aliqua tan-
 tum, atque illorum qualitas tunc ex excipien-
 dorum qualitate est determinanda § 408. Sic
 siccorum tenacium, quae recensui §. 401.
 No. 1. inprimis resinorum, excipientia sunt
 liquidiora, vt essentiae, tincturae idque genus
 alia, quae commemoravi §. 401. No. 5. deinde
 (Pars II. de form. in specie.) P vitel-

Dede.

termina-

tione
 quantita-
 tis exci-
 pienti-
 um in pi-
 lulis.

Liquida

§. 401.

no. 3. 4. 5.

omnia

non qua-

drant ex-

cipien-

dis siccis.

vitellus oui, balsama, et terebinthina. Sic-
ca puluerulenta excipientibus egent spissioris
consistentiae, qualia sunt §. 401. No. 3. 4.

§. 413.

Si exci-
pienda
sunt spif-
fa, sicca
pulue-
rulenta
sunt ex-
cipienti-
tia.

Si excipienda in pilulis sunt magis minus-
ve spissa, et ad fluidorum indolem accedunt, vti
ea, quae §. 401. No. 3. 4. indicaui, patet, sicca pul-
verulenta bibula, vti farinae, puluis liquiritiae,
succini, mastiches, et similia, illis in formam
pilularum redigendis inferuire, adeoque ex-
cipientia esse.

§. 414.

Quanti-
tas exci-
pienti-
um de-
termina-
tur, si pi-
lularum
excipi-
enda
sunt sic-
ca.

Si in pilulis excipienda sunt sicca pulue-
rulenta, liquida diuerso fluiditatis gradu prae-
dita excipientium vice in pilulis fungi possunt
§. 409, qualia sunt §. 401. No. 3. 4. 5. Sed
cum excipientium quantitas ex ipsorum
qualitate determinetur §. 411, varia requi-
ritur excipientium, diuerso fluiditatis gra-
du praedictorum, quantitas, pro varia eorundem
consistentia, et in genere tanto plus, quo spif-
siora sunt, et eo minus, quo fluidiora sunt, vt
debita pilularum consistentia exinde emergat.

Posita erga excipientiorum siccorum vn-
cia vna:

excipientis spissi §. 401. No. 3. drachm.
V. ad VI.

— — minus spissi §. cit. No. 4.
drachm. III. ad IV.

— — liquidioris §. cit. No. 5.
drachm. II. ad III.

opus

opus est, vt pilulae determinatam suam acquirant consistentiam. Interdum excipientis quantitas pharmacopoei iudicio determinanda relinquitur.

§. 415.

Patet hinc ex §. 414. proportio, si plura excipientia diuersae consistentiae, vel si excipienda tum sicca puluerulenta, tum sicca tenacia, qualia sunt §. 401. No. 1, simul adhibenda sunt. Neque minus pulueris, qui ad excipienda magis minusque spissa in pilulis vsurpatur §. 413, proportio ex regula §. 414. data intelligitur; interdum tamen eius quantitas non praescribitur, sed pharmacopoeo determinanda committitur, scribendo, q. s.

Qualitas excipientium diuersae consistentiae potest ex dictis determinari.

§. 416.

Si quis, dum excipientium in pilulis quantitates determinare vult, dubius est et metuit, ne vel sint iusto maiores, vel minores, vt ne errorem, quem facile euitare potuisset, committat, bene prudenterque agit, si vnus excipientis vel quorundam excipientium tam paruam quantitatem praescribat, vt eam solum scopo excipiendi non sufficere certus sciat, et deinde reliqui excipientis vel reliquorum excipientium quantum satis subiungat.

Quid faciendum sit, si non constat, vtrum excipientium quantitates rite determinatae sint nec ne.

§. 417.

Cum ingrediens pilularum simplicium ita comparatum esse debeat, vt per se, sine aliorum miscela, in pilularum formam redigi possit

Nullum sal ingrediens esse potest pilula.

rum simplicium. fit §. 403, nullum vero sal, quodcunque sit, per se, sine aliorum combinatione, pilularum formae capax sit, patet, nullum sal ingredientis vice in pilulis simplicibus fungi posse.

§. 418.

Salia, Quamvis vero hoc, quod asserui §. 417, quæ cum aliorum combinatione in pilularum formam redigi possunt, ingredientium vicem in pilulis compositis sustinere posse §. 400. Eius generis salia sunt salia neutra, vt tartarus vitriolatus, tartarisatus, cremor tartari, sal succini, acetosellae, idque genus alia. Raro quidem salibus cito liquefcentibus, qualia sunt sal tartari, terra foliata tartari, idque genus alia, vel exhalantibus, in pilulis compositis locus est, sed tamen minori quantitate data et cum aliis idoneis commixta ferri possunt.

§. 419.

Quibusnam formæ pilularum optime quadret. Acrida, sapore, odore aliisque qualitatibus molesta, commodissime pilularum forma exhibentur, cum his tegendis accommodatior non detur formula. Et sic quoque cum metallicis et mercurialibus comparatum est, vt pote quæ aptissime in pilulis propinari possunt. Cinnabarin quoque tanquam commodissimum pilularum, praesertim purgantium, et feri vitio et spasmodicis tollendis dicatarum, ingrediens, commendant aliqui, inter quos praecipue eminet *illustris* b. m.

HOFF-

HOFFMANNVS, putantes, cinnabarin omnibus pilulis gratum rubicundum conciliare colorem, cum purgantibus acrioribus, quae pilulas aluo purgandae destinatas ingrediuntur, tritu probe subactam, illorum acrimoniam causticam mitigare, egregiumque in spasmodicis demulcendis et lymphae vitio corrigendo exferere effectum. Sed quid de hoc sentiendum sit, alii sagaciores iudicent.

§. 420.

Ordo, qui in scribendis pilularum compositionum ingredientibus a Medicis observatur, non certis et immutabilibus se adstringit legibus. Plerumque excipienda iuxta speciei similitudinem et singulorum quantitatem ita, ut dictum fuit §. 259. collocata praemittuntur, his dein excipientia subiunguntur, atque horum illa, quae non determinata quantitate praescribuntur, ultimo loco ponuntur §. cit.

§. 421.

Moles cuiusvis pilulae non una eademque obtinet, sed variat, prout haec vel illa aridet. Veteres pilulis maioris molis, quam recentiores, ut fuerunt; id quod ex eo apparet, quoniam ex drachma una massae vix sex vel octo formarunt pilulas. Nonnullae nationes, ut Galli et Angli, adhuc hunc morem quoad pilularum magnitudinem sequuntur. Maior pilulae moles est, si ex octo vel

P 3

decem

decem granis massae constet, atque haec, immo hac maior, Gallis et Anglis est vsitatissima. Apud nos in vsu est triplex pilularum moles: Nonnullae ponderant duo grana et mole sua pisum aequant, aliae pondere suo granum vnum referunt, et iterum aliae granum tantum semis vel minus ponderant.

§. 422.

De dosi
pilula-
rum.

Quo minor est dosi pilularum, eo est gratior, dum modo effectum legitime edat, ita, vt hic defectu vix peccari queat. Ordinaria dosi est scrupulus vnus, interdum tamen ad scrupulos duos, immo drachmam vnam, sed raro augetur, nisi indicatione id postulante, ingredientibus pilularum specificè grauioribus, aegroque facili.

§. 423.

Quae cir-
ca dosi
pilula-
rum sint
animad-
verten-
da.

Pilulas alterantes, lentius agentes, in sanguinem insinuandas, difficulter, solubiles parua potius dosi, saepiusque iterata, quam maiori vnica, dare praestat, atque idem obseruandum est de pilulis mercurialibus sialagogis, purgantibus drastrictis, idque genus aliis, vtpote quae tutius, diuisa in minores dosi efficaci, exhibentur, nisi indicatio postulet, vt Medicus morbum conatu validiori adgreddiatur, nec aliae circumstantiae id dissuadeant. Neque minus consultum est, si sine ingenti humorum commotione, vel per epicrasin pilulis aliis est subducenda, earum dosi effica-

efficacis partem tertiam vel quartam exhibere vesperi, reliquam vero proximo mane. Ceterum obseruentur circa dosin pilularum dicta §. 141 — 157. 177 — 183. 189 — 199.

§. 424.

Numerus pilularum pro dosi facile inuenitur, ex doseos pilularum mole per pondus pilulae desideratum diuisa. Sunt, qui substitutione a medicis introducta capti, a numero pilularum pari pro dosi abhorrent. Horum opinioni facile se quis accomodare potest.

§. 425.

Quantitas pilularum generalis inuenitur ex numero et mole doseos §. 185. 186. sed in casu singulari in genere determinari nequit. Pilulae euacuantes saepe ad vnam, interdum ad duas et tres doses praescribuntur, alterantes ad totidem uncias. Repetantur praeter ea huc dicta de quantitate pulueris generalis §. 325.

§. 426.

Subscriptio formulae pilularum haec est: *M. f. pilulae.* Additur semper numerus vel omnium pilularum, quae ex data massa sunt praeparandae, vel indicatur, quotnam ex certo massae pondere formari debeant, vel quanti ponderis quaelibet desideretur. Sic scribi solet: *M. f. pilulae No. I. II. III. etc.* vel ex *℥j. No. XX.* vel singulae *gr. I. II. III.* ponderantes. Subiungitur interdum id, quo

P 4

pilulae

pilulae sunt obducendae, ne facile cohaerescant, cui scopo inferuiunt folia auri, argenti, puluis glycyrrhizae, fantali rubri, cinnamomi, feminis lycopodii, chinae et lapidum cancrorum, atque id tanto magis hic ferri potest, quo certius est, hac ratione earum colores, sapesque et odores saepe iniucundissimos, corrigi, consistentiam debitam conservari, atque prohiberi, quo minus facile diffluant, nimis durescant, vel in puluerem dilabantur; interea tamen mora longiori hoc involucrum corrumpitur. Ceterum repetantur huc dicta §. 113. 115. 116.

§. 427.

Designa-
tura for-
mulae
pilula-
rum.

Signatura formulae pilularum determinat, si opus est, *titulum earum ex nomine et virtute compositum* §. 122. 123. *dosin, tempus, regimen, et vehiculum* §. 125. Quod ad hoc attinet, alii illo vtuntur, alii non item, et eorum, qui illud adhibent, aliqui solido vel spisso, uti nebula, passula maiore, pruno cocto, gelatina, vel roob gratiore, idque genus aliis, aliqui liquido vtuntur. Hoc si frigidum est, aptius est calido, utpote quod rarius, vel plane non vsurpatur, dum pilulas liquefacit, atque hae liquefactae gustum modo valde aduerso afficiant faucibusque magna cum molestia adhaereant. Nonnunquam, pilulis assumtis liquor ut superbibatur, necessarium est, tum ut ingrati saporis reliquiae abstergantur, tum ut earum solutio

folutio in ventriculo promoueat. Conferantur huc praeterea dicta §. 117.

§. 428.

Pilulae aequae ac pulueres frequentissime usurpantur, et scopo alterandi pariter ac euacuandi, maxime in affectibus chronicis, optime satisfaciunt. In acutis morbis rarius usurpantur, nisi emetica, narcotica, purgantia et similia sub earum forma dari vel volupe vel opus fuerit. Quae ingrata sunt, commodissime pilularum forma ingeruntur. Sunt tamen, quibus haec remedii species nec placet, nec conuenit. Iis, qui deglutiendi difficultate laborant, non debent praescribi pilulae. Subiectis quoque temperiei siccae minus sunt accommodatae, neque, si quis a promissima remedii actione effectus est sperandus, in usum vocandae.

De usu
pilularum.

§. 429.

I. Pilulae purgantes et laxantes.

1.

Rx. mercur. dulc. 3℥.

res in. ialap. cum

pineis tritae gr. XII.

extr. panchym. Croll. 3j.

M. f. pilulae gr. i. ponderantes et obducantur foliis argenti.

P 5

2. Rx.

2.

R_x. aethiop. miner.
 mercur. dulc.
 extr. rhabarb.
 fumar.

panchym. Croll. aa 3j.

M. f. c. essent. succini q. f. pilulae
 ex ʒj No. XX.

3.

R_x. extr. marocost.

mercur. dulc. aa ʒj.

res. ialapp. c. pineis

tritae gr. V.

trochisc. alhand: gr. iij

M. f. c. ess. succ. q. f.

pilulae No. XXX.

aper. sem: h. upor:

D. S. Ruyter film vesp. 2 ungl.

4.

R_x. resin. lign. aloes

ladan.

flor. benzoës

⊖ succin.

bals. Peruu.

myrrh. elect. aa ʒj.

mercur. dulc.

extr. helleb. nigr. aa 3℥.

rhabarb.

aloes rosat. aa 3j.

M. f. pilulae ex ʒj. No. XX.

5. R_x.

5.

R̄. ref. ialapp. ppt.
 mercur. dulc.
 cinnab. nat. aa ʒj.
 gumm. ammon. dep.
 mastich.
 aloes rosat.
 extr. rhabarb.
 helleb. nigr. aa ʒʒ.

M. f. pilulae gr. I. ponderantes.

6.

R̄. aloes gummos. ʒj.
 extr. panchym. Croll. ʒʒ.
 limat. martis ppt. gr. V.

M. f. pilulae ad pondus gr. I. Sunt
 pilulae contra obstructions.

7.

R̄. gumm. ʒci in +to squillit.]
 solut. et inspissat.
 mercur. dulc.
 aloes rosat.
 extr. fumar. aa ʒj.

M. f. pilulae ex ʒi. No. XX.

s. R̄.

8.

Rx. gumm. ammon. in aceto squillit.
soluti et inspissati
sapon. Venet.
borac. Venet.
pulv. rad. ari
aloes rofat.
extr. centaur. min.
rhabarb. aa 3ß.

M. f. pilulae ex 3j. No. XX.

II. Pilulae hydropicae.

1.

Rx. MP balsam. No. III. I. 3ß.
pulv. rad. vincetox.
squillae aa gr. IV.
gumm. guttae gr. II—IV.

M. f. pilulae pro vna dosi.

2.

Rx. elater.
extr. helleb. nigr.
centaur. min.
absynth.

mercur. dulc. aa 3ß.

extr. croci gr. VI.

M. f. c. bals. Peruv. q. f.
pilulae ex 3ß. No. XX.

3. Rx.

^{9.}
 Rx. extr. catholic. 3℥.
 elleb. nigr.
 merc. dulc. aa gr. IV.
 ref. ialapp.
 gumm. gutt. aa gr. III.
 M. f. pilulae No. XX.

Pilulae I. No. 1. 2. et 3. egregie condu-
 cunt in morbis sanguinis, a feri inprimis im-
 puritate proficiscentibus, vt in affectibus sca-
 biosis, pustulosis et pruriginosis idque genus
 aliis. Neque minorem praestant vilitatem
 in morbis cerebri et neruorum, auditus et
 visus vitiis, quatenus ab humore his in-partibus
 stagnante, earumque functiones laedente pro-
 veniunt. Pilulae No. 4. et 5. vitiis cerebri
 neruorumque, quatenus ab eorum debilita-
 te proficiscuntur, sunt dicatae. Quae No. 7
 et 8. descriptae sunt, non egregia solum vi
 alvum leniter laxandi, sed aperiendi etiam
 et resoluendi praeditae sunt, adeoque in mor-
 bis, qui a viscerum, glandularum aliarum-
 que partium obstructione oriuntur, maximo
 cum fructu adhibentur.

III. Pi-

III. Pilulae balsamicae polychrestae.

1.

R $\mathfrak{x}$. pulv. rhabarb. elect.
 sapon. Venet.
 borac. Venet.
 myrrh. elect.
 mastich.
 fuccin.
 benzoës aa $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$.
 gumm. $\mathfrak{X}$ ci in aceto squillit.
 soluti
 sagapen.
 aloes rofat.
 extr. card. ben.
 fumar..
 centaur. min. aa $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$.
 croci $\mathfrak{z}\mathfrak{i}\mathfrak{j}$.

M. f. pilulae ex $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$. No. XX.

2.

R $\mathfrak{x}$. aloes gummosae
 myrrh. ppt.
 gumm. iunip.
 heder. aa $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$.
 extr. cochlear. ∇ of.
 absinth. vin.
 card. ben. vin.
 tereb. Venet. leniter coct. aa $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$.

M. f. pilulae ex $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$. No. XV.

Hae

Hae pilulae No. 1. vtilitate se prae multis aliis commendant. Aluum enim blande laxant, ita, vt ventriculi et intestinorum tonum non destruant, vti a plerisque purgantibus fieri solet, sed eum potius roborent. Praeter hanc roborandi virtutem, egregia quoque obstructions aperiendi et abstergendi vi gaudent, eamque ob causam, impeditum sanguinis per abdominis viscera circuitum in ordinem redigendi sine, summo cum fructu vsurpantur, vnde unicuique facile patebit, quam multiplicem praestent vtilitatem. Sic bene conducunt in malo hypochondriaco, hysterico iisque, qui ab his tanquam causis dependent, malis. Eodem cum fructu in vteri vitiis, a sanguinis per vasa eius minus expedito circuitu proficiscentibus, cachexia, chlorosi, leucophlegmatia, hydrope, haemorrhoidum vel mensium fluxu impedito, et multis, quae exinde oriuntur, malis adhibentur, eorumque efficacia coniuncto salis aperitiui vsu promouetur, de quo iam dixi §. 331. XXVI. Pilulae No. 2. cum prioribus fere conueniunt, et gradu tantum minori effectuum ab iis differre videntur.

IV. Pilulae ad menses promouendos.

R. gumm. ammon. in aceto
 squillit. soluti
 galbani
 bdell.
 myrrh. elect.
 sapon. Venet.
 aloes depur.
 borac. Venet.
 extr. aristol. rot. aa ʒi.
 castor.
 croci aa ʒi.

M. f. l. a. pilulae ex ʒi. No. XX.

V. Pilulae antispasmodicae.

R. extr. chamom.
 millefol.
 card. bened. aa ʒi.
 gumm. sagapen.
 opopon.
 myrrh. elect.
 asae foetidae
 pulv. castor. aa ʒss.
 cinnab.
 croci aa ʒij.

M. f. pilulae ex ʒi. No. XX.

Hac

Hae pilulae in spasmodicis vteri mitigandis egregiam exserunt vtilitatem. Pro circumstantiarum ratione pulvis castorei et croci magis refracta dosi iis addi, neque minus loco horum extractum castorei et croci ad pauca grana adhiberi potest. Si vero alius simul leniter est laxanda, possunt hae pilulae antispasmodicae ita praeparari:

R_x. extr. chamom.

millefol.

rhabarb.

gumm. sagap.

myrrh. elect.

aloes rosat. aa ʒss.

extr. croci

castor.

cinnab.

res. styrac. aa gr. XII.

M. f. c. ess. ball. Peruv. q. s.

pilulae ex ʒj. No. XX.

VI. Pilulae anthelminticae.

R_x. extr. tanac.

cent. min.

rhabarb.

aloes depur.

asaë foetidae

merc. dule. aa ʒss.

M. f. cum. tereb. Ven. q. s.

pilulae ex ʒj. No. XX.

(Part. II. de form. in specie.) Q Pos-

Possunt his pilulis pro re nata addi extracti croci et castorei grana III — IV.

VI. Pilulae pectorales.

1.

R̄. gumm. ꝯci in oxym.

squill solut.

aloes depur.

Sperm. ceti rec.

myrrh. elect.

pulv. rad. liquir.

excortic. aa ʒss.

croci ʒij.

M. f. c. ess. croci q. s. pilulae grani I.

2.

R̄. extr. rhabarb. ʒi

croci ʒss

M. f. pilulae gr. I. Dosis gr. I. II.

3.

R̄. aloes depur. ʒj.

sperm. ceti rec. ʒij.

extr. croci ʒj.

M. f. pilulae ad pondus gr. I.

4.

R̄. M^p. aloephang.

de styrace aa ʒss.

extr. croci gr. V.

M. f. pilulae ex ʒj. No. XX.

s. R̄.

5.

R_x. gumm. Xci depur.

oxym. squillit.

myrrh. elect.

benzoes

pulv. rad. squillae

helenii aa 3ß.

croci ʒij.

M. f. c. bals. Peruv. q. f. pilulae

ex ʒj. No. XX.

6.

R_x. gumm. Xci depur.

myrrh. elect.

benzoes

bals. Peruv.

succ. glycyrrh. aa 3ß.

pulv. milleped.

nitr. depur. aa ʒj.

M. f. pilulae ex ʒj. No. XX.

7.

R_x. pulv. rad. irid. Flor.

pimp. alb. aa ʒj.

squillae ʒß.

gumm. Xci in oxymel.

squillit. soluti

succ. glycyrrh. aa 3ß.

M. f. pilulae ex ʒj. No. XX.

Q 2

Pilu-

Pilulae No. 1 egregia virtute, tussim effrenem motusque pectoris vehementes cum ea coniunctos mitigandi, et materiam tenacem, pulmones obsidentem et difficulter mobilem, resolvendi et per aluum blande subducendi, gaudent, vnde earum utilitas satis superque apparet. Pilulae No. 2. ad priores virtute fere accedunt, sed iis paulo sunt inferiores. Pilulae No. 3. sunt pilulae pectorales *D. D. ALLION*, quarum descriptionem genuinam esse ego saltem certe mihi persuadeo. Num vero virtute pilulis No. 1. antecellant, vix credo. Equidem permultos magnas ipsis tribuere laudes atque frequentissime usurpari, me non fugit, sed e contrario, admodum multos, vulgum praefertim, de remedii efficacia iudicare non posse, probe scio. Vfus harum pilularum, vt mea saltem fert opinio, magna cum prudentia instituendus esse mihi videtur. Ingreditur enim eas aloe et extractum croci satis larga quantitate, quae humores, in iis praefertim, qui ad sanguinis exaestuationem facile pronis, valde exagitant, aliosque perniciosos effectus producunt. Pilulae No. 4. motibus in tussi effrenibus mitigandis sunt destinatae, vti ex earundem compositione, quam ingreditur opium et crocus, patet, eamque ob causam conueniunt in tussi et asthma conuulsivo. Quae No. 7. descriptae sunt, materiam tenacem, pulmones obsidentem minusque mobilem, resolvunt atque ad exitum aptam reddunt,

dunt, fibras pulmonum stimulant atque hac ratione expectorationem promouent, vnde earum vtilitas in asthma pituitoso, aliisque id genus affectibus, satis apparet. Cum his conueniunt descriptae No. 5 et 6.

VII. Pilulae roborantes et adstringentes.

1.

Rx. extr. cascar. ʒiij.

succ. ppt.

corall. rubr. ppt.

gumm. mastich. aa ʒj.

pulv. cort. cascar. ʒss.

M. f. pilulae c. ess. succ. q. s. ex ʒss.

No. XXX.

2.

Rx. pulv. cort. cascar. ʒss.

extr. tormentill.

cascar. aa gr. VI.

MP. de cynoglossa gr. II.

M. f. pilulae No. XX.

Hae pilulae vsurpari possunt in nimis excretionibus sistendis, vt in diarrhoea, dysenteria, fluore albo, gonorrhoea. Potest etiam his addi limatura martis, si id desiderat indicatio.

Q 3

VIII. Pi-

VIII. Pilulae ad gonorrhoeam sistendam.

1.

R̄. off. sepiae ppt.
corall. rubr. ppt.
terrae catech.
succ. ppt. aa 3ß.
extr. cascar. ʒij.

M. f. pilulae ex ʒj. No. XV.

2.

R̄. gumm. mastich.
elemi

▽ catechu aa ʒj.

M. f. c. bals. Peruv. q. f. pilulae.

3.

R̄. tereb. Venet. ʒj.

succini

mastich.

terr. catechu

ʒii diaph. ʒlis.

corall. rubr. ppt. aa 3ß.

bals. Peruv. q. f.

M. f. pilulae.

Addi his potest, si opus est, olibanum
et terra sigillata.

IX. Pi

IX. Pilulae sanguinem purificantes et salivantes.

1.

Rx. Zii dulc. gr. XII.

Lapid. ☉. ppt. ℥j.

M. f. c. mucil. tragacanth. q. s. pilulae.

2.

Rx. aethiop. mineral ℥iij.

reg. Zii medicin ℥i℥.

resin guaiac. ℥℥.

extr. fumar.

card. ben. siue

saſſap. compos. pharm. Bat.

aa ℥ij.

M. f. cum ess. succin. q. s. pilulae

ex ℥j. No. XX.

X. Pilulae stomachicae, siue viscerales.

Rx. extr. cort. cascar.

gent. rubr.

absinth.

rhabarb.

aloes correct.

myrrh. elect.

maſtich.

succ. ppt. aa ℥℥.

limat. ℥tis ppt. ℥j.

M. f. pilulae ex ℥j. No. XV. obducantur

foliis argenti.

Q 4

SECTIO